



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Examen Confessariorum Repetitum

Schoonaerts, Gregor

Coloniæ Agrippinæ

VD18 14542323-001

§. 7. De raptu.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41226

70 TRACTATUS DE PECCATIS.

mortem verisimiliter instantem alium Confessarium adire non posset, teneretur peccatum exprimere cum manifestatione complicis. Ita tenet verior, & communior sententia, quam passim omnes DD. in Scholis Lovaniensibus docuerunt, & etiamnum docent.

Ratio à priori est voluntas Christi sic instituentis hoc Sacramentum pœnitentiæ. A posteriori est, quia eo ipso, quo quis peccat, cedit juri, quod habet ad famam. De hoc alibi. Insuper quærendum, an incœstuosus sit conjugatus, ut supra de peccatis carnalibus dixi.

Notet benè Confessarius, quod ille, qui cum aliqua sponsalia contraxit, & postea cognosceret Sororem, Matrem, vel filiam suæ sponsæ de futuro, verum committeret incœstum, quia talis copula prohibita est per Ecclesiam propter reverentiam conjunctionis debitam, propter quam inter ipsum, & illas constituit Ecclesia impedimentum dirimens matrimonium, scilicet honestatis, seu justitiae publicæ honestatis; & talis pœnitens postea nec cum sponsa, cum qua jam affinitatem contraxit in primo gradu per copulam cum ejus sorore, nec cum sorore sponsæ posset contrahere sine dispensatione.

§. 6. *De Raptu.*

Raptus est peccatum luxuriæ, quo persona aliqua abducitur cum violentia ad actum turpem cum ea exercendam.

Nota;



Nota, quod tria requirantur ad raptum. 1. Vis illata. 2. Abductio. 3. Ut fiat causâ concubitus.

Dicitur quo *Persona aliqua*, non necessariò femina, non virgo, quia sive sit masculus, sive femina &c. si violentè abducantur, verus erit raptus tantò gravior, quantò ad gravius peccatum exercendum committitur. In definitione dicitur: *Ad actum turpem*; si enim abducatur ad alium finem, V. G. redigendi in servitutem, dicitur plagium, & erit furtum hominis.

1. An sit raptus, si sponsus, eam, quæ sibi sponsata est per verba de futuro, volentem abducat, reclamantibus Parentibus?

2. Non esse raptum, si abducatur ad matrimonium juxta præscriptum Ecclesiæ perficendum. Ita in Capitulo: *cum causa. tit. de raptoribus declaratum est: Raptor dici non debet, cum habuerit mulieris assensum, & prius eam desponsaverit, quam cognoverit, licet parentes reclamarent, à quibus eam dicitur rapuisse.*

2. Quæ sunt pœnæ raptoris?

3. Inter cæteras à Concilio Trid. statuuntur tres: 1. Ut raptor, & omnes consilium, auxilium, & favorem præbentes, sint ipso iure excommunicati, perpetuò infames, & omnium dignitatum incapaces. 2. Ut raptor, sive matrimonium contrahat, sive non, teneatur ad decenter dotandum raptam arbitrio judicis. 3. Inter raptorem & raptam declarat Trid. matrimonium nullum, quam diu rapta manet in potestate raptoris.

72 TRACTATUS DE PECCATI'S.

3. Quid si rapta non solum consentiat liberè in matrimonium , verum etiam nolit ponit in alio loco tuto , & omnino extra potestatem raptoris , ant tunc saltem possit validè contrahere cum raptore ?

¶. Probabilius neg . Quia hæc conditio , ut sit extra potestatem raptoris , essentialiter requirit à Con. Trid. quæ non deficit in casu particulari .

§. 7. *De Peccato contra naturam.*

PEccatum strictè contra naturam dicitur illud , quod est contrà ordinem , quem natura etiam in ceteris animalibus requirit , quia scilicet ordo , à natura requisitus in carnali copula , deficit . Cùm ergò hic ordo ita pervertitur , ut conceptio fieri nequeat , dicitur propriè peccatum contra naturam .

Natura autem actus venerei , ut ex eo possit fieri conceptio prolis ejusdem speciei , postulat quinque : 1. Conjunctionem duorum . 2. Eamdem naturam in utroque . 3. Sexum diversum . 4. Instrumenta naturalia utriusque sexus ad generationem ordinata . 5. Debitum modum . Hinc fit , ut quinque modis possit esse peccatum contra naturam in materia luxuriæ .

1. Si queratur voluptas carnalis per sui corruptionem absque conjunctione ; hoc vocatur mollities , vel pollutio .

2. Si queratur in conjunctione cum re alterius naturæ V. G. cum bruto , & vocatur bestialitas .

3. Si